

III.

NEOVIDENSIS

Nro 11. (*Neovidensis* Nro 34.)

---

Tyrinthius Heros, Hercules,  
expugnato orco

*Admeto Alcestiden  
nobis hunc Dialogum reduxit.*

---

Elysium --- Meum. --- Die Martis 8 Maji 1804. (*Neov.* 24 Apr.)

---

Monumentum, quia monet mentem, historiam memorabilium vitorum, aut factorum perennat. Malo, ut posteritas quærat, cur Archiduci Carolo monumentum non sit erectum, quam aliis quare erectum fuisset.

Colloquentes:

*Lessingius, et Lichtenbergius.*

*Lessingius.*

**N**isi me oculi fallunt, salveto Lichtenbergi! Accipe salutationem benevole, quantum illa salutationibus superiorum æquiparari potest.

*Lichtenbergius.* Profectò mi Lessingi! nisi liceret societate tibi simili tempus fallere, hic loci nos tædium rerum omnium caperet.

*Lessing.* Hoc malo etiam apud superos tandem obruimur. Sed vide sis! (ait indigi-

tans volumen chartæ, quod Lichtenbergius manu tenebat) hanc incompletam adhuc partem explicationis Hogarticarum æri incisarum figurarum \*) in tuis manibus. Fert litteras liberi commeatus ex orbe veteri in novum.

*Lichtenb.* Heu Lessingi! Nunc probe caleo, longe aliter esse post mortem, quam vivens putaverim.\*\* ) Hactenus non poteram in animum inducere meum.

Aspice! In hunc angulum præ foribus abjicio mea manuscripta, quæ animo vagus mecum attuli, & cum illis totam mortalitatem.

Verum quid fit, quid agitur hic?

*Lessing.* Pro his audiendis infinitum tibi suppetit tempus; dicito mihi primum, quid agatur superius? Certus enim esto, nos multiplici sollicitudine teneri mundi superioris, tametsi innumeras ibidem debuerimus exantillare molestias.

*Lichtenb.* Ut apparet, hic humanum genus non venire in oblivionem.

*Lessing.* Multa dilabuntur, multa permanent; omnia æternitatem denotant. Sed, quæso, aperi mihi, quod animum meum jam a pluribus annis torquet. Non enim reperio aptiorem virum, quo cum hac de re sermonem conferam, quam te, qui libere cogitas, & meis opinionibus multifariam consentis. Estne mihi Brunsvici monumentum positum?

---

\*) Lichtenbergius immortalus est expositioni Hogarticarum æri incisarum figurarum.

\*\* ) Vide relicta a Lichtenbergio scripta.

*Lichtenb.* Est omnino. At noli ultra sciscitari; invitus ejus memini.

*Lessing.* Mihi sane ea res nulli fuit solatio. Nonne notus ego tibi sum adhuc inde a superis. Sæpe gravem indignationem risu excepi. Eandem naturam nondum exui. Rogo, præsta mihi beneficium, & commove in me bilem.

*Lichtenb.* Volenti non fit injuria, audi ergo saltem initium, quomodo tui causa instituta sit collecta. Comicus Grossmannus in Theatro Casselano in hunc modum verba fecit: „Auditores spectatissimi! Quidquid pecuniarum fuerit collatum pro Comedia Lessingiana producta, id totum destinatur erigendo illius memoriæ monumento; non judico necessariam esse uberiores hujus intentionis commendationem, viri enim illius immortalia de re litteraria germanica merita omnium ore celebrantur.“ Percepti sunt 15 Imperiales, 12 grossi in valore superioris Hassiæ. Ita Grossmannus typis publicis vulgari curavit.

*Lessing.* Hei mihi! desine, nequeo ista concoquere.

*Lichtenb.* Hæc ratione centeni aliquot imperiales collecti sunt ex omnibus Germaniæ pagis partim in thaleris, partim in grossis pro tuo monumento, & quidem ad impressas publicas admonitiones de præclaris Lessingii dotibus, de sempiternis ejus circa rem litterariam præstitis meritis, atque incredibili-

li honore, quem exposito tali tropæo Patria nostra relatura est.

*Lessing.* Refers facta communia; eo tamen cum fervore, acsi aliquam Hogartianam æri incisam figuram explanares.

*Lichtenb.* Nihil sum commentus, nihil addidi, meram veritatem narro.

*Lessing.* Maluissem, ut omnia mea opera publico edicto in medietullio Germaniæ per manus carnificis fuissent combusta. Hinc enim ea minimum profluxisset utilitas, ut eadem magis fuissent quæsitæ, eorumque legendorum cupido magis aucta. Pecuniam ex nova editione meorum operum divisissem inter conductores, & bibliopolas, ut honorem, quo me dignabantur, redimerem.

Ego in ea sum opinione, nationi, quæ alicui suorum præclarorum virorum erigere monumentum cogitat, se ipsam eo facto plus honorare, quam illum, (huic enim propterea nihil abcedit) ea de causa hac in re debet magis suam, quam hujus spectare dignitatem. Si illud redolet paupertatem, prodit abjectam cogitandi rationem — (Ignominia, quam potuisset evitare) & injuriam maculam nomini ejus, cui publicos honores decernere cupiebat. Vile etenim monumentum manifestat parvam nationis existimationem de meritis viri, cui structum est. Quamdiu tale tropæum non existit, tamdiu quisque potest, prout libuerit opinionem nationis de viro vel augere, vel minuere: at si semel ere-

Quum sit, cogitur judicare eam esse statuto monumento conformem.

Magni facio, si singulares amici viro cuidam monumentum honoris statuunt; quo minus hoc, eo carius: ferme quemadmodum in amore parva munera plus valent, quam pretiosa; quod enim deest ex pretio, supplet benevolentia. At celebris quædam, magna, ex 25 vel forte 30 millionibus hominum constans natio, iterum, iterumque repeto, sibi ipsi errigat monumentum, oportet, dum illud alicui magno suorum collocat. Secus idem est, acsi homines adigi deberent, ut honore ducantur.

*Lichtenb.* Erat tempus, quo homines specie quadam furoris agitabantur, ut viris præstantibus monumenta constituerent; jam etiam quæstiones cum præmio conjunctæ proponebantur, ubi esset ille in Germania locus, in quo sublime illud Pantheon consistere posset: Atque hujus furoris infelix victima tu modo eecidisti. Quemadmodum autem Prudentia præcipua est dos in charactere nationis germanicæ, ita illa etiam præ cæteris aliis facillime, citissimeque ab omni mentis ægrotatione curatur. Modo quidem illam cogitationem animo ejecerat, sed pro nationali monumento illi inde a sinu Bothnico novissima designatio submissa est.

*Lessing.* Id me latet, quotuam grana ex Donkischotto debeat habere homo in atomis suæ essentiæ, qui publicum honoris tropæum aucupatur. Sed quomodo potuissem ego

in talem aliquando cogitationem devenire? qui in dubia hujus sæculi luce e latebris erupi, qui alios juvando mihi ipsi tenebras ofufudi: quem unæ Ephemerides laudarunt, aliæ vero decem vituperaverunt; quem sexcenti Orthodoxi oderunt, & centum Heterodoxi aliquantum æstimarunt, cujus doctrina placuit in teatro, aliis autem omnibus displicuit, qui nonnullis visus sum homo perspicuæ mentis, pluribus vero confuseæ, & a plurimis tanquam pertinax, & ambitiosus traducebar. Hæc fuissent illis Collectoribus, qui pro honore meo mendicabant, ponderanda, ut se ipsos propria superbia exuissent.

*Lichtenb.* Ex illo tempore omni æstimatione dignissimæ nationi Teutonicæ auctor eram, ut suas cauponas, & Diversoria nominibus magnorum, & præclarorum virorum insigniret.

*Lessing.* Tunc haberent illi aliquid cum Regibus commune.

*Lichtenb.* Vel etiam, ut eorum effigies mellitis placentis imprimendas curaret.

*Lessing.* Sine dubio, ut quibus nequeunt penetrare caput, repleant stomachum. Forte optimum foret, quasdam populares ex scriptis nostris deligere sententias, easque in forma, & vilitate pretii cantilenarum damnatorum capitis, imprimere, atque, dum majora eduntur spectacula, aut populus confluit, inter homines distribuere.

*Lichtenb.* Esto tranquillo animo Lessingi! Honor tuus ab interitu vindicatus est. Au-

ribus accipe Epitaphium, quod audax quædam manus in basi erigendi tibi monumenti stylo lapidari exaravit :

HIC.

IN. FRAGILI. MARMORE.  
PUTABATUR.

ERIGENDUM. LESSINGIO.  
MONUMENTUM.

QUI.

INGENIO. GERMANIAM.  
ILLUSTRAVIT.

ARTE. POETICA.  
ERUDIVIT.

QUI.

JUDICIO. SCRIPTORES. ET. COMICOS.  
FORMAVIT.

DOCTRINA. SIBI. NOMEN.  
AMPLIFICAVIT.

POST. MORTEM.

IN. GERMANIA. MENDICABATUR.

UT. EJUS. HONOR. CONSERVARETUR.

QUI. NULLI. PRINCIPUM. BLANDIEBATUR.

NEC. ULLUM. MÆCENATEM. VENERABATUR.

IN. HUNC. FINEM.

COLLECTA. EST. PECUNIA.

QUI SEMPER.

AUREA. INGENII.

EDEBAT. OPERA.

VADE! VIATOR!

NON. HOC. SED. ALIO. QUÆRE. LOCO.

LESSINGII. MANES.

REPERIES. EOSDEM.

IN MENTIBUS. QUAS ILLUMINAVIT.

IN. ANIMIS. QUOS. PERMOVIT.

IN AMICIS. QUIBUS. BENEFECIT.

CUJUS NOMEN. FAMA.

PERËNNI. INSCRIBIT. CATALOGO.

NON. EGRET. PAUPERUM. COLLECTA.

UT. EMAT. HONORES.

*Lessing.* Equidem non male! At miseror fortunam meam, non posse verbis obliterari facta.

*Problema I.*

Quidam Patruus suis 4 nepotibus universum patrimonium, quod in domo, & numerata pecunia, sed quæ 25 vicibus valorem domus superavit, consistebat, testamento legavit ea conditione, ut illud secundum progressionem arithmeticam inter se dividerent ita, ut senior tot mille florenos acquireret, quot annos esset natus, junior autem bis tot mille florenos, quot annos numerabat. Ætas senioris natu nepotis æquat dimidiam cubicam radicem de numerata pecunia. Summa vero ætatis primi, & ultimi efficit ætatem duorum mediorum nepotum; quod si ætas tertii elevetur ad cubum, indeque subtrahatur ætas primi, & ultimi, prodit 16 vicibus quadratum secundi nepotis.

Quæritur: Quantum fuerit patrimonium? quantum ex eo obtigerit unicuique; & denique, quot quilibet nepotum compleverit annos?

*Friderica Pachelbelia;*  
ex Comitatu Sehn.

*Problema II.*

Principum quidam Ludimagistro, ejusque discipulis dono dedit certam summam pecuniæ. Si ex totali summa extrahatur radix quadrata, prodit Ludimagistri donum, quod si quadrariam secetur, producit singulorum discipulorum donum 78125 vicibus. Uniuscujusque discipuli donum efficit radicem quadratam de dono Ludimagistri, & continet numerum discipulorum, si quodlibet donum per 24 multiplicetur.

Quæritur: Quantum fuerit donum Ludimagistri, quantum singulorum discipulorum? Quam copiosi fuerint discipuli, ac demum quantam effecerit summam totale donum?

*Christophorus Frider. Sixt;*  
Ludimagister Vaiblingæ.